

non liber esse vult. *Quibus et possumus et debemus.* Nos vero, si quidem animo excelso et alto, et virtutibus exaggerato sumus, nec debemus nec possumus. Tu posse te dicito, quoniam quidem potes: debere ne dixeris; quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non reddere. Sed haec haec haec. Ille videat, quomodo imperator esse possit: quum cum ne liberum quidem esse ratio, et veritas ipsa convincat.

VI. FRAGMENTA ETHICOPOLITICA ET RELIGIOSA.

De orat. I. 52. — Virtus et semper, et sola libera est, quae, etiamsi corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum jus, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debet.

Of. I. 43. 44. 45. Eorum ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio et comparatio; de duobus honestis utrum honestius: qui locus a Panaetio est praetermissus. Nam quum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis; tertia magnanimitatis; quarta moderationis: hae in deligendo officio saepe inter se comparentur necesse est. Placet igitur, aptiora esse naturae ea officia, quae ex communitate, quam ea, quae ex cognitione ducantur: idque hoc argumento confirmari potest, quod, si contigerit ea vita sapienti, ut, in omnium rerum affluentibus copiis, omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret et contempletur: tamen, si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita. Princepsque omnium virtutum illa sapientia, quam σοφίαν Graeci vocant (prudentiam enim, quam Graeci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus; quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia): illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia: in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Ea